www.e-rara.ch

I.I. Hofmanni, Basiliensis, poematum libri III, seu Proteus Horatianus, Clio Raurica, et Salomon Emmetros

Hofmann, Johann Jacob

Basileae, 1684

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-63155

Poematum liber III. seu Salomo Emmetroc, complexus paraphrasin lyricam Cantici Canticorum

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

POEMATUM
LIBER III.
SEU
SALOMO EMMETPOC,
complexus
PARAPHRASIN LYRICAM
CANTICI CANTICORUM.

SA

P

CAN

Eccle

am

com

ab in

sum

ornat

grav

teru

com

titus

A

SALOMO EMMETPOC,

Seu

PARAPHRASIS LYRICA CANTICI CANTICORUM.

CAP. I.

Ecclesia studio Sponsi Christi abrepta amplexum ejus expetit, nomen ejus commendat, & laudaturam se vovet: ab indignitate sua se purgat, & Sponsum advocat, quam Sponsus edocens ornat factis & promissionibus: itaq; gratulantes inter se celebrat alter alterum, & bona habitationemque communem, per communionem Spiritus.

AMans amantem me beet osculis,
Nec ore cesset figere basia:
Dulcedinem musti suavis
Namque tui superant amores.

(3) No-

(3) Nomenque odorem præcipit unguinum,
Effusa fractis quæ redolent cadis.
Te Virgines amant, Iesu;
Atque meos imitantur æstus.
(4) Lentè meantem me trahe, me trahe
Post te, Redemtor; velle sequi doce, &
Curremus omnes: Duc rogantem
In penetrale tuum, & subire
Regale limen da, Bone, gaudia
Ut misceamus, lætitiâque ibi
In te fruamur, hic tuorum
Præ rubeo memores amorum
Liquore vitis; pectora diligunt
Te recta. (5) Quamvis fusca ferar, tamen
Sicut Chedræorum decóra
Tecta, velut Salomonis intus
Cortina, fulget pectus amabile.
(6) Ne me, Sorores, cernite, quòd nigra
Compaream, me namque apricam
Sol nimio radiavit astro:
Odere matris me soboles meæ.
Sum pôsta custos sedula vineæ,
Sed quæ mihi vites fuerunt,
Insuper has habui misella.
(7) Dilecte cordi, dic age, dic ubi
Pascas capellas; dic, quibus abditus
Oris recumbas, cùm triumphum
Æstus agit, medio diei,
Tuos sodales ne vaga persequar,
Errore plus quàm simplice devia.
(8) Quòd si nitore quæ superbo
Virgineos speciosa cœtus

Lon-

Longè antevertis, me cupis assequi;
Hâc vade, quà vestigia te ferunt,
Pascentium versùs tabernas,
Heic Mea, pasce meas capellas.
(9) Equis Parhonis te similem, soror
Dilecta, dico, & curribus aureis.
(10) Malæ decoræ dulcè splendent,
Et gracili pretiosa collo
Catena pendet. (11) Dixi ego, lineas
Tibi, Soror, curabimus aureas
Argenteis clavis notari.
(12) Vix meus accubuit maritus,
Et nostra fundit nardus amabilem
Jam latè odorem (13) Tu mihi myrrheus
Fascis meas, Frater, mamillas
Inter eris, tenebris in istis.
(14) Tu cypri ad instar, quæ redolentibus
Onusta baccis, æmula vineas
Inter virescit, En gedina
Vitiferos ubi terra colles
Ad astra tollit. (15) Quàm specie nites,
Quàm Sponsa pulchra es? Sunt oculi tui,
Velut columbarum, micantes.
(16) Has potiùs speciose laudes
Sponse ô! mereris, sidere pulchrior
Vincens sodales. Est viridis thorus
Nobis (17) Domusque tigna cedri,
Atque abies laqueare fulcit.

Cap. II.

Sponsus dignitatem suam & Sponsæ prædicat: Sponsa respondens eum lau-

laudat, eiqúe ſua bona accepta fert: officia ejus erga ſe convivio figurat, ſummumque ſuum amorem in eum deliquio: dein Sponſi ad ſe adventum, vocationem ſuam ac promiſsiones ampliſsimas exponit, usque ad promiſsionum complementum, ſecundo ejus adventu.

EGO Saronis ſum roſa florei,
Convallium ſum nobile lilium.
(2) Ut inter hoc ſpinas refulget,
Sic mea ſic ſuperat puellas.
(3) Ut malus inter promicat arbores,
Quas ſilva jactat frondea filias,
Sic eſt Amicus, inter Adæ
Poſtgenitos, meus ille, Princeps:
Ah! hujus umbrâ protegar, ignei
A Solis æſtu, à fulmine Sirii;
Nam fructus hic dulcis palato eſt,
Et ſtomachi minuit laborem.
(4) Me duxit intrò, quà genialibus
Falluntur horis tædia, teſſeram
Amoris, ô cœli favorem,
In labaro gerit ecce noſtri.
(5) Fulcite me, fulcite lagenulis,
Fulcite malis, obſecro, languidam;
Fatiſco victa, nec potentes
Porrò faces tolerare coner.

(6) Meum

(6) Meum Mariti sustinet occiput
Sinistra fessum, dextera languido
Cordi medetur. (7) Juro silvæ
Per capreas, agilesque cervos,
Et si quid istis gratius, ah! mei
Somnum, Sorores, linquite corculi,
Donec soporis ipse fessus
Sponse suâ vigil emicabit.
(8) Sed en! Amantis vox, venit, adsilit,
Istosque colles quàm facili pede
Montesque vincit (9) Nempe saltu
Est similis capreæ fugaci,
Cursuque lentos increpat hinnulos.
Post septa nostri tristia parjetis
Jam stat, videtque per fenestras
Eque meis micat ille clathris;
(10) Istis resolvens ora profatibus:
Amica surge, & protinus exili
Formosa, (11) fugerunt procellæ,
Et celeres abiére nimbi.
(12) Jam terra flores parturit, æmula
Cœli flagrantùm sidera siderum;
Canunt volúcres, turturi que
Aure bibit plaga cuncta vocem.
(13) Ecce ipsa ficus turgida grossulos
Protrusit, uvis vina recentibus
Spargunt odorem: Surge, Amica,
Pulchra veni mea, quid morare?
(14) Columba degens in salebris mea,
Et sub minaci tegmine rupium,
Ostende vultum, attolle vocem;
Voce tuâ, rogo, quid suäve,

Tuoque vultu quid mage dulcius ?
(15) Vulpes nocivas prendite, prendite
Pestem hanc, sodales, dum tenellas
Extulerit mea vitis uvas.
(16) Dilectus agnos qui meus in suis
Pascit viretis, est meus, illius
Dilecta dicor, (17) donec umbræ
Diffugient, aderitque lumen.
Benè est, quiesco. Sponse revertere,
Citasque cursu præcipe capreas,
Superque Betheris cacumen
Hinnuleos imitare raptos !

Cap. III.

Ecclesia exponit studium suum prehendendi & obtinendi Sponsi: dein, quia de gloria ejus confirmata est, ostendit sibi utilius esse, ut hîc illum non detineat, sed conscendentem in thalamum suum cœlestem sequatur.

ORbi tenébræ cùm raperent polum,
Meo in cubili sedula quæsii,
An Sponsus hic esset, mearum
Grande decus columenque rerum;
Quærentis omnis sed labor irritus
Ploravit, illum non reperire se :
(2) Jam surgam, obibo civitatem,
Per plateasque forumque quæram,

Dixi,

Dixi, cupitas delitias; sed ah!
Nec sic anhelans quærere repperi,
Quem deperibam. (3) Me videntes
Eximiæ vigiles Sionis,
Sponsum rogati, num teneant meum,
Nosse hunc negârunt. (4) Anxia consili
Sic præteribam paulum ab illis,
Quum reperi æthereos Amores,
Meique cordis gaudia perdita:
Arctis prehendi amplexibus hîc eum,
Missura nunquam, dum parentis
Introeat penetrale mecum,
Ædesque matris presserit intimas,
(5) Adjuro castæ vos Solymitides,
Tantisper ist hinc emanete
Cum capreis, rapidisque cervis,
Nec ulla Amorem hunc suscitet inquies,
Somnum aut tumultu dissipet impio,
Donec soporis vi solutâ
Sponte suâ exiliat Redemtor.
(6) Quænam illa, Fratres, surgit ab asperis
Sublata tesquis; virgula myrrhea
Velut, calensque thus, quod omnem
Exuperat piperisque odorem,
Longoque linquit cinnama tramite,
(7) En lectus ejus præ Salomonico,
Quem sexies decem potentûm
Stans cataphracta phalanx in orbem
Latè tuetur: (8) Stringere singuli
Ferrum parati inflexile, bellicæ
Rei periti, quisque cinctus
Ense femur, clypeoque fulgens.

(9) Thronum paravit Rex Salomo ſibi,
Cedri è virentis ſtipite nobili :
(10) Argenteæ cujus columnæ,
Strataque de meliore lamna,
Uritque cujus ſtragula ſplendidùm
Cruor necati muricis inclytus:
Amore cujus picta pulchrè
Artifice interiora fulgent.
(11) Prodite vos, & cernite filiæ
Regem, coronam cui ſua nexuit
Sponſo genétrix, jam jam adeſſet
Cùm thalami genialis hora.

Cap. IV.

Chriſtus Eccleſiæ perfectionem laudat: & ſuavitatem ſermonum, ornamentorum, fidei, officiorum fructuumq; ejus prædicat. Viciſsim Eccleſia agnoſcens ſua bona à Chriſto eſſe, ampliùs illum celebrat, & ſibi adeſſe petit.

EN pulchra Amica es, pulchra ſoror mea,
Tui Columbæ ſunt oculi velut,
Inter comas à fronte ſparſas;
Cæſaries ſimilis capellis,
De monte tondent quæ Gilhadis ſacri.
(2) Æquisque dentes ſunt ovibus pares,
Cùm de lavacro prodierunt,
Quæ nitidos pariunt gemellos

Omnes,

Omnes, nec orba est in quibus unica.
(3)Labrum rubenti murice purpurat,
Sermo est decorus: temporumque,
Punica mala velut, tuorum
Utrumque fragrat, crinibus in tuis:
(4)Turrique cervix æqua Davidicæ,
Millena de qua scuta pendent,
Et frameæ, clypeique fortes,
Ducumque parmæ? (5) Quæ tibi turgido
Extant papillæ in pectore lacteæ,
Pares pari sunt hinnulorum,
Et similes capreæ gemellis,
Formosa calcant quæ pede lilia.
(6) Donec dies hæc venerit, umbraque
Ex orbe fugerit calente;
Ibo celer, properabo montem
Gressu citato scandere myrrheum,
Collemque thuris vincere masculi.
(7) Formosa tota es, ô Amica,
Nec vitio temeraris ullo.
(8) Mecum pruinis à Libani veni,
O Sponsa, mecum de Libano fuge;
Virentis è jugis Amani
Prospice, sidereumque culmen
Hermonis alti desere, verticem
Linquens Seniris; sunt habitacula
Cuncta hæc leonum, lustra pardus
Ista ferox, rabidusque servat.
(9) Cor abstulisti chara Soror meum,
Cor abstulisti funditus, illice
Evulsum ocello, torque raptum,
Quo radiat pretiosa cervix.

(10) Quàm pulchri Amores sunt Soror ô tui!
Quàm Sponsa Amores sunt celebres tui!
His vina cedunt: unguen istud
Vincit Achæmenios odores.
(11) Quàm dulce nectar labra fluentia,
O Sponsa, stillant! lingua tua innatat
Mellis liquori, lacte multo
Ora madent: Libano fragranti
Præstant tuarum balsama vestium.
(12) Es septus hortus Sponsa, soror mea,
Scatébra tecta, fons sigillo
Et vigili benè clausus astro.
(13) Tu mala donas punica, tu crocum,
Nardique aristas hortule suggeris,
Cyprumque, (14) cinnamumque fundis,
Atque aloën, casiamque odoram,
Acremque myrrham, & nobile santalum,
Thurisque castas subjicis arbores,
Et optimis quibusque passim
Omnis aromatibus superbis.
(15) O fons, ô undans prosilientium
Origo aquarum, quas Libanus liquat
Caldis solutas è cavernis.
(16) Evigila Boreæ penétrans
Rigor, susurraque aura Favonii,
Hortumque perflans, fac ut aromata
Spargant odores, sicque totus
Delitiis recreetur orbis.

Cap. V.

Christus præsentiam suam Sponsæ ex parte annuit. Sed mox Ecclesia Christi à

sti à se discessum peccatis suis imputãs offensionem suam narrat & pœnas meritas: opem piorum implorat ad studium suum erga ipsum communi operâ exponendum: Sponsum describit.

Dilectus hortum se ferat ad meum,
Floresque odoros, pomaque mustea
Hic carpat, atque illic, probetque,
Quæ dederat prior ipse, reddi.
(2) Ingressus hortum, Sponsa soror, meum
Decerpo myrrham, & dulcia aromata,
Favumque cum mellis liquore
Ore traho, laticemque vitis,
Cum lacte, labris duco madentibus.
Quin ó mihi gratissima pectora
Adestis, & pomis sodales
Esuriemque, sitimque plenis
Vestram culullis sistitis, ebrii.
Hic mensa vobis sternitur, hic meis
Datur fruisci. (3) Dormiebam,
Mente licet vigilante, Sponsi
Audita cùm vox: Pande Soror fores,
Columba, cordis tolle repagula,
Ah! ocyùs reclude Amica,
Ingrediar, miseræque tectum
Domus subibo: dum irriguum caput
Canet pruinâ, guttaque de comæ
Nocturna cincinnis frequenti
Rore cadit glomerata nostræ.

(4) Ignava verùm, dixi ego: num meas
Exuta vestes sic bene prodeam,
Num rursus inquinabo lotos
Nuda pedes? (5) Subitò sed ecce,
Immissa claustris fortiter ostii,
Me dextra Sponsi transadigit mei,
Et tacta confestim sub imo
Viscera contremuere fundo.
(6) Ergo tepenti corripio meos
Artus cubili, & pandere dum fores
Ruo, manus stillare myrrham,
Et liquidum digiti madorem
Seræ irrigantem clausa manubria
Cœpere. (7) Amico sic ego januam
Tandem reclusi, cardinesque
Limine concrepuere aperto.
Sed ah! reclusum dum patet ostium,
Subducta Sponsi est gratia, se meus
Submovit ardor, jamque longè
Abstulerat, Domino loquente,
Egressa, mœsto pectore quæsii,
Sed non reperto, nil nisi quæsiti;
Ter voce clamavi, sed ille
Ah! siluit, lachrymosa quamvis
Multa hunc rogarem (8) Per tenebras Viri,
Queis urbis est custodia credita,
Me vulnerárunt deprehensam,
Et vigiles rapuere peplum
Licèt cruentæ. (9) Vos Solymitides
Testor, reperto dicite Principi,
Amore quòd languens fatiscam,
Et peream fugientis æstu.

(10) At

(10) At Virginum pulcherrima, quid tuus
Dilectus est, præ mille sodalibus?
Quid est Amicus ille, Virgo,
Præ sociis, quòd amore flagras,
Testata nostram tam calidè fidem?
(11) Dilectus, urit pectora qui mea
Suis inextinctis favillis,
Ora rubet, niveumque vincit
Candore vellus, myriadem anteit
(12) Insignis: ejus plus rutilat caput,
Quàm fulgor auri; crispa corvum
Cæsaries imitatur: (13) ambo
Columbæ ocelli sunt velut, amnium
Juxta nitorem, qui, benè lacteis
Uncti fluentis, orbe pleno
Fulmineos jaculantur ictus.
(14) Genæque, sulci sicut aromatum,
Quos pulchra in hortis linea dividit:
Præ liliis placent labella,
Egregio madefacta sacræ
Fluore myrrhæ. (15) Glaucus habet manus
Beryllus ambas: viscera candidum
Eburque sapphirique certant
Cœrulei variare. (16) Crura
Sunt firma, pilæ marmoreæ velut,
Aurata subtus quas stabilit basis,
Ne lubrico lapsu vacillent:
Ut Libanus, laricesque, vultus.
(17) Dulce est palatum, linguaque musteum
Fundit liquorem, guttur amabile
Resolvitur dulci profatu,
Talis Amor meus ille, talis.

Cap. VI.

Ecclesia quoque locum describit, quò se Sponsus recepit, ac se ipsam in fide confirmat. Christus Ecclesiæ suæ studio testimonium perhibet, prædicat pulchritudinem ejus spiritualem: desiderium nuptiarum, quo tenetur, explicat, eamque confirmat vocatione.

Dic ergo, Sponsus quorsum abiit tuus,
O omnium pulcherrima virginum,
Quorsum tuus respexit ille,
Dic, Amor, & properante cursu
Quæremus illum, ac voce ciebimus.
(2) Dilectus hortum se tulit ad suum,
Ad lineas, factosque odori
Venit aromatis ille sulcos.
Hic pascit agnos, liliaque hic legit.
(3) Ego sum Amantis, sed meus est Amans,
Qui pascit inter lilieta,
Huic amor, hunc redamo vicissim.
(4) Amica pulchra es, Thirsa velut, mea,
Decora, fortes, ut Solymæ, horrida,
Ut castra vexillata, ferro
Quæ rigido, horribilique fulgent.
(5) Averte ocellos fulmineos, precor,
Qui reddiderunt me velut efferum.
(6) Dentes tui quàm comparandi
Sunt ovibus, nitidæ lavacro

Quæ

Quæ prodierunt, nec sterilescere
Suetæ, gemellos ventre gerunt suo.
Pilus tuus sicut caprarum
Grex, Gilhadis minuens vireta.
(7) Ut mala granis turgida punicis
Rubere cernis, tempora sic tua
Inter capillos purpurascunt,
Atque comæ speciosa claustra.
(8) Triginta bis de stemmate regio,
In fronte gestant quæ diademata,
Thoro fruuntur, pellicumque
Copia non minor est, puellæ,
Arena sicut, vix numerabiles.
(9) Una at columba est, una soror mea,
A criminum cœno remota,
Una suæ genitricis ardor,
Charæque matris delitium: hanc simul
Vidére casto lumine Virgines,
Illam beatam prædicârunt,
Regifico pariter superbæ
Nurus paratu, turbaque pellicum,
Hisque extulerunt laudibus inclytam;
(10) Quænam illa, dic nobis, Virago est,
Quæ facie aspicitur rubente,
Auroræ ad instar; pulchra, velut nitor
Lunæ micantis; quæ lacit aureum
Fulgore Solem; castra sicut,
Terribilis, numerosa signis.
(11) Descendi ad hortum, nux ubi plurima est,
Heic ut viderem in vallibus, an mea
Malus virescat, spemque vites
Pampinei faciant cruoris.

(12) Sed en! citatæ quàm imposuit celer
Me mens quadrigæ (13) Sponsa revertere
Morasque rumpe longiores,
Ah Sulamith refer hucce gressus,
Et ad Sorores Sponsa revertere;
Vultum puellis redde tuis tuum,
Chorosque castrorum sarissis
Cernere da nimiùm rigentes.

Cap. VII.

Bona porrò, quæ Ecclesiæ tribuit, Sponsus celebrat ac promittit præsentiam & beneficentiam suam, usq; ad optatissimum nuptiarum diem. Ecclesia vicissim, audito Sponsi erga se studio, se committit ei, quæritque signa futurarum nuptiarum.

Quàm Sponsa, magni filia Principis,
Pedes decori sunt tibi, calceus
Quàm se aptat illis vertebræque
Sunt femorum egregiæ tuorum,
Velut peritè texta monilia,
Perfabricavit quæ manus artifex.
(2) Crater rotundus umbilicus
Usque sacros latices refundit,
Molemque venter triticeam refert.
Quam pulchra cingunt undique lilia.
(3) Binæ gemellis caprearum
Hinnuleis similes mamillæ.

(4) Ces-

(4) Cervix in altum, turris eburneæ
Consurgit instar; sunt oculi, velut
Piscina Chesbonis, nitentes,
Porta ubi nobilium patescit.
Ut celsa turris, de Libano feram
Spectans Damascum, nasus habet tuus.
(5) Caput tuum Carmelus alter,
Auricomi rutilant capilli,
Conchæ ut marinæ filia, purpura.
En ambulachris Rex tuus in suis,
Blandis ligatur vinculorum
Nexibus & quasi fixus hæret!
(6) Quàm pulchra Sponsa, & nectare dulcior
Vincis puellas, delitiis tuis!
(7) Forma est, Idumes palma sicut,
Ubera sunt potiora botris.
(8) Palmam, inquiebam, scandere jam juvat,
Et fructuosos carpere palmites.
Tuæ papillæ, vitis instar,
Turgidulas generantis uvas,
Fragransque naris mala tuæ anteit
Odore multis Punica gressibus.
(9) Tuum optimo vino palatum
Consimile est, bonitate mulcet
Quod nostrum Amorem, & sponte silentia
Obdormientùm labra facit loqui.
(10) Ego sum Amantis, ille rursus
Me perit, & propiore jungi
Nexu fatiscit. (11) Sponse, age rustica
Lustremus ambo regna tenerrime,
Heic commoremur, (12) manè vitis
Ut videamus an alma gemmas

Protru-

Protrudat, uvæ num benè musteæ
Jam prodeant, & punica germinet
Malus: tibi hic meos amores,
Hic tibi, Sponse, dabo papillas.
(13) Jamjam dederunt mandragoræ suum
Suaves odorem, dulcia in ostiis
Sunt cuncta nostris, en repono,
Sponse, tibi vetera, en tenella!

Cap. VIII.

Ecclesia nuptiarum diem exoptat: amicas officii admonet: ardentissimum suum in Sponsum amorem exponit, & ab illo in perpetuum redamari exoptat. Vetus tandem Ecclesia deliberat de vocatione Gentium, & partem lætitiæ suæ collocat in cooptatione ejus. Christus studium suum erga Ecclesiam exponit & prædicari ab ea cupit, hac vicissim præsentiam & opem illius implorante.

Quis, Sponse, fratrem te mihi det, meæ
Matris trahentem suctibus ubera,
Ut osculer foris repertum,
Et tamen haud reprehendar ulli?
(2) Ducam domum te matris in intimam,
Natam docentis: dulcia vina ubi
Tibi propinabo bibenda,
Cum laticis meliore succo,

Quem

Quem mala nobis punica ſuggerunt.
(3) Meum ſiniſtrâ ſuſtinet occiput,
Dextrâque cingit dormientem,
Atque ſibi propiore nexu
Jungit Redemtor. (4) Vos Solymitides,
Cur ſuſcitetis luſibus improbis
Meos amores, donec ipſa
Evigilet, ſaturata ſomno.
(5) Quænam iſta ſurgit comtior, è feris
Mundi cavernis, dicite Filiæ,
Conjux viro non pœnitenda,
Atque humeris benè nixa Sponſi
Suffulcientis robore languidam
Suo Sororem? Sponſe, ſub arbore
Hâc te excitavi, cùm Tonantem
Te pareret veneranda mater.
(6) Tui ſigillum ſim rogo pectoris,
Tuique pignus ſim peto brachii.
Nam fortis ut mors eſt cupido,
Fataque zelotypi ſepulchri
Severa temnit durior: ignea
De nocte lucens lampas uti ſuas
Spargit favillas undiquaque,
In mediis animoſa flammis.
(7) Hanc nullus unquam ſtinguere ſunditus
Vortex valebit: fluminaque ipſamet,
Ingente quamvis mole ſurgant,
Et madidis tumeant procellis,
Illam haud inundent. Hæc procul æquore
Gemmas Eoo quæ veniunt, ſuo
Vincit nitore; ſperneretur
Quisquis eam cuperet ſuperbis

Dom

Domi redemtam divitiis ſuæ.
(8) Sed parva nobis eſt ſoror, ubera
Cui ſororiâre nondum.
Quid, rogo te, faciemus, illam
Si fortè Sponſus geſtiat alloqui.
(9) Si murus eſt, hic ædificabimus
Argentei molem palati:
Janua ſi, malè ne vacillet,
Cingemus hanc munimine cedrino.
(10) Sum murus, & pro turribus ubera
Surgunt in æthram, jam petitam
Invenio redamata pacem,
Vultuque Sponſi propitio beor.
(11) Loco in feraci Rex habet inclytus
Vineta noſter, iſta fidis
Agricolis pretio locavit,
Ut mille quivis hinc ſibi penderet
Siclos (12) Apud me vinea permanet;
Argentei debentur ô Rex
Mille tibi, reliquis ducenti,
Cuſtodierunt qui benè vineam.
(13) O quæ per hortos tutior ambulas,
Attolle vocem, te miſellam
Ne ſocii alliciant retrorſum.
(14) Sat, eſt, quieſco. Sponſe fuge! ô refer
Cito ruentes turbine capreas,
Clivosque vincendo fragrantes
Aligeros imitare cervos.

INDEX